2dò Evitatio infamiæ e. g. si qui communiter jam habiti pro conjugibus velint contrahere.

3tiò. Si revalidandum sit matrimonium ob latens aliquod impedimentum nulliter in facie ecclesiæ initum.

4tò Angustia temporis, ut si immineret adventus aut quadragesima, nec tamen nuptiæ absque incommodo notabili differri possent.

5tò Periculum gravis damni in bonis fortunæ, famæ, Corporis aut Animæ.

6tò Gravis erubescentia aut pudor ob nimiam ætatis, conditionis, aut fortunæ discrepantiam.

Additio. Sunt adhuc præter recensitas causæ quædam, de quarum legitimitate disputatur. Meretur eatenus legi *Continuator prælect. Theolog. Honorati Tournely tom.* 13. *pag.* 402. *& seqq.*

§. II.

DE DESPONSATIONE CLANDESTINA EX DEFECTU VEL PAROCHI VEL TESTIUM.

NUM. 1. Matrimonia fidelium clam & consensu privatim dato contracta, nullo non tempore ab ecclesia improbata fuisse, Doctores ad h. t. uno ore clamant. *

* Quod jam ante prædicationem legis evangelicæ in nuptiis judæorum atque gentilium quædam intervenerit publicitas, variis argumentis probare nititur *Author. Collat. Paris. tom.* 3. *lib.* 4. *Collat.* 1. videri etiam eâ de re potest *Godefredus in notis ad nov.* 89. *Leonis, & leg.* 7. *Cod. de repudiis.*

II. Veritatem opinionis istius plurima ex Scriptoribus omnium

Sæcu-

Sæculorum deprompta testimonia manifeste demonstrant; pauca illorum de remotioribus præcipuè sæculis hìc adducam.

III. *S. Ignatius Martyr*, qui primo Sæculo ecclesiæ Antiochenæ præfuit, *in epistolâ ad Polycarpum* sic scribit: *Decet verò, ut & ducentes uxores & nubentes cum Episcopi arbitrio conjungantur, ut nuptiæ juxta Domini præceptum, non autem ob concupiscentiam coiisse videantur.*

IV. *Tertullianus* Author 2di & 3tii Sæculi *lib. 2. de pudicitiâ* ita ait: *Ideo pœnes nos occultæ quoque conjunctiones id est non prius apud ecclesiam professæ juxta moechiam & fornicationem judicari periclitantur, nec inde consertæ obtentu matrimonii crimen eludant.* *

* Adhunc locum *Rigaltius in notis* animadvertit iis verbis à Tertulliano prolatis: *non prius apud ecclesiam professæ* indicari conjugia, in quibus non fuerat servata consuetudo, quâ solebant fideles conjugandi per presbyteros ecclesiæ offerri, ut communibus votis conjugia benedicerentur.

V. Idem 4to ecclesiæ Sæculo observatum fuisse colligitur ex epistolâ *S. Ambrosii ad Vigilium* Scribentis oportere, ut conjugium velamine sacerdotali & benedictione sanctificetur.

VI. Ad eundem morem cum benedictione presbyteri nuptias contrahendi alludit *S. Synesius Cyrenensis*, qui floruit Sæculo 5to, *Epistolâ 105. ex recensione petavii* in his verbis: *Mihi & Deus ipse, & Lex, & sacra Theophili manus uxorem dedit.*

VII.

VII. *S. Isidorus Hispalensis*, qui vixit sæculis 6to & 7mo, describit ceremonias solemnitatis matrimoniorum, quæ debebant in facie ecclesiæ cum benedictione presbyteri contrahi *lib. 2. de officiis Cap. 19.*

VIII. Concordat dictis pro sæculo *8vo Regula Chrodogangi Episcopi Metensis* hæc habens: *Sponsus & Sponsa cum precibus & oblationibus à Sacerdote benedicantur, & legibus sponsa dotetur, & à paranymphis custodiatur, & publicè solenniterque accipiatur.*

IX. *Nicolaus I.*, qui Sæculo 9no medio universalem ecclesiam rexit, *in instructione Bulgarorum* dicit *nuptialia fœdera in ecclesia Domini... per sacerdotis manum & benedictionem statui.*

X. Praxin ecclesiæ quoad hoc pro sæculis 10mo 11mo & 12mo exhibent collectiones canonum operâ *Burchardi & Ivonis Carnotensis* in lucem datæ.

XI. Quid de conjugiis clam & privatim initis senserit ecclesia subsequentibus temporibus ad Conc. Trid. usque, variarum synodorum statuta pœnalia contra clandestinè nubentes evidenter ob oculos ponunt.

XII. Quantùm denique *Concilium Tridentinum* ejusmodi conjugia detestatum fuerit, ex ejusdem *Sess. 24. cap. I. de reform.* elucet: nempe patres in eo congregati animadvertentes prohibitiones antiquorum canonum propter hominum

inobedientiam jam non prodeſſe, graviaque peccata ex clandeſtinis conjugiis ortum habentia perpendentes eadem per decretum in ingreſſu hujus diſſertatiunculæ citatum penitus annullaverunt. *

* Utrum etiam ante Conc. Trid. Matrimonia clandeſtina ullo unquam tempore fuerint lege aliquâ eccleſiaſticâ irritata, quæſtio eſt, in cujus reſolutione Doctores non conveniunt. Sunt, qui illam affirmant ob *Can.* 1. *XXX. q.* 5. ubi: *aliter legitimum non ſit conjugium, niſi ab his, qui ſuper ipſam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus cuſtoditur, uxor petatur, & à parentibus vel propinquioribus ſponſetur, & legibus dotetur, & ſuo tempore ſacerdotaliter, ùt mos eſt, cum precibus & oblationibus à ſacerdote benedicatur, & à paranymphis, ùt conſuetudo docet, cuſtodita, & ſociata, à proximis congruo tempore petita legibus detur, ac ſolenniter accipiatur, & biduo vel triduo orationibus vacent, & caſtitatem cuſtodiant. item* §. 1. *ita peracta legitima ſcitote eſſe connubia, aliter verò præſumpta, non conjugia, ſed adulteria, vel contubernia, vel ſtupra, aut fornicationes potius, quàm legitima conjugia eſſe non dubitate, niſi voluntas propria ſuffragaverit, & vota ſuccurrerint legitima.* Atque hæc ſententia probabilior apparet, ſi cum *Baſilio Pontio lib.* 2. *de matrimonio cap.* 1. §. 2. in locum *niſi* ſubſtituatur to *etiamſi*, prout legi debere idem *Pontius* loco cit. pluribus argumentis conatur evincere.

Contrariæ opinioni ſubſcribunt plurimi, & pro iis facere videntur

1*mò* verba *Tertulliani* num. 4. proximè à me allegata, in quibus dicitur, occultas conjunctiones ſecundam moechiam & fornicationem judicari *periclitari*, ſat claro indicio, quod illæ poſſint non eſſe fornicatio & moechia.

2*dò*

2*dò* Quod incredibile ſit omnia illa, quæ cit. Canon requirit, ut matrimonium ſit legitimum, ad ejus valorem requiſita fuiſſe.

3*tiò* Textus *Nicolai* I., qui eodem circiter tempore, quo cit. Canon fabricatus creditur, vixit, & ad Conſulta Bulgarorum *cap.* 3. *tom.* 5. *Collect. Harduini. Col.* 355. enumeratis ritibus, iis multùm correſpondentibus, quos mox ex pſeudo-evariſto retuli, ſic reſpondit: *peccatum autem eſſe, ſi hæc cuncta in nuptiali fœdere non interveniant, non dicimus, quemadmodum græcos vos adſtruere dicitis, præſertim cum tanta ſoleat arctare quosdam rerum inopia, ut ad hæc præparanda nullum his ſuffragetur auxilium, ac per hoc ſufficiat ſecundum leges ſolus eorum conſenſus, de quorum conjunctionibus agitur.*

Additio. Hujus ergo ſententiæ patroni citato Canone pſeudo-evariſti aliud ſignificari non autumant, quàm quod matrimonia clandeſtina ſint illicita, aut quod pro foro fori ſint invalida.

XIII. Poteſtatem hoc faciendi pœnes Conc. Trid. fuiſſe perſuadet paritas ab aliis impedimentis jure eccleſiaſtico introductis deſumpta. Accedit, quod, ſicut conſenſus matrimonialis clam præſtitus per principes temporales ſaltem pro ſubditis eorum infidelibus irritari poteſt, prout per eosdem variarum perſonarum conſenſus in ordine ad quædam negotia de facto irritatus eſt; ita pariter ab eccleſiâ id fieri poſſe pro membris ejusdem indubitatô judicandum ſit, nec quidquam obſtante, quod matrimonium ad rationem Sacramenti à Chriſto evectum ſit, cujus eſſentiam eccleſia mutare non poſſit; quàm parum enim, qui ex aquâ cereviſiam, & ex vino acetum facit, materiam baptiſmi aut Euchariſtiæ mutat,

quamvis faciat, ut id, quod prius erat Sacramentorum istorum materia, jam non sit amplius eorum materia; tam parum ecclesia requirendo ad valorem matrimonii præsentiam parochi & testium, naturam Sacramenti mutavit, cum id unicè fecerit, ut is, qui aliàs subjectum matrimonii habile fuit, deinceps tale non sit, & ut consensus, qui ante Conc. Trid. vi matrimonium efficiendi pollebat, post illud eâdem destituatur.

XIV. Porro causæ, quæ patres Tridenti Congregatos ad irritanda clandestina conjugia moverunt, gravissimæ erant, attinguntúrque illæ in *Sess. 24. cap. I. de reform.* his verbis: *veruntamen cum sancta synodus ... gravia peccata perpendat, quæ ex iisdem clandestinis conjugiis ortum habent,* * *præsertim verò eorum, qui in statu dammationis permanent, dum priore uxore, cum quâ clam contraxerant, relictâ cum aliâ palam contrahunt, & cum eâ in perpetuo adulterio vivunt.*

* Varia profectò hæc sunt, & consideratâ hominum malitiâ quasi naturaliter exinde profluentia, atque ejus quidem generis, ut non modo bonum privatum contrahentium, natarumque ex iis prolium, sed & bonum ipsiusmet reipublicæ per eadam gravissimè lædatur: contrahentium quidem, quia, cum ejusmodi contractus probari non possit, una pars alteram pertæsa aut exhaustâ ejus substantiâ malitiosè ad secundas nuptias transire, quandocunque voluerit, potest: prolium verò, quippe quas maritus ex se natas esse pro libitu valet negare, quo fit, ut earum educatio negligatur, quod quantum reipublicæ, quam

malis

malis civibus hoc modo repleri necesse est, officiat, nemo non videt. Præter hoc ex frequenti ejusmodi matrimonium dissolutione quies publica non potest non turbari, cum sic sæpissimè contingat, ut plures fœminæ eundem virum prætendant suum esse maritum, & vicissim plures viri eandem mulierem pro suâ vendicent uxore.

XV. Conformiter ergo sæpe dicto decreto hodiedum ad valorem matrimonii in locis promulgati Tridentini * requiritur, ut eidem parochus ** vel alius Sacerdos *** de licentiâ **** ipsius parochi seu ordinarii cum duobus ad minimum testibus ***** intersit.

* Duo hìc sunt singularia: 1mum est, quod licet aliàs ad obligationem legis necessarium non sit eandem ubique promulgari, in hâc tamen materia aliud obtineat, ut patet ex sequentibus *Conc. Trid. Sess.* 24. *cap. I. de reform.* in fine verbis: *decernit insuper* (sancta Synodus) *ut hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post* 30. *dies* (inquo altera singularitas est, cum ordinariè & nisi aliud à legislatore exprimatur, statim à sui publicatione lex subditos stringat) *habere incipiat à die primæ publicationis in eadem parochia factæ numerandos.*

Additio 1. Ex dictis per argumentum à contrario infertur in locis non promulgati Trid. matrimonia clandestina, utut illicita sint, adhuc tamen esse valida, tenetque illud ex principio generali, quod in contractibus inspiciantur leges & consuetudines locorum, in quibus contractus celebrantur, etiam de eorum matrimoniis, qui ex loco promulgati Trid. in locum non promulgati ex alio fine, quàm ut matrimonium ibidem ineant, se se conferunt. Dixi ex alio fine, quàm ut matrimonium ibidem

 ineant,

ineant, ob declarationes cardinalium, qua de re vid. *Benedictus XIV. de synodo diœcesanâ lib.* 13. *cap.* 4. *num.* 10.

Additio 2. In dubio de publicatione memorati decreti præsumptio est, quod ea facta fuerit, *ubicunque constat jam usu receptum esse, ut matrimonia coram parocho & 2 vel* 3. *testibus tanquam in executionem decreti Conc. Trid. celebrentur. Benedictus XIV. de synodo lib.* 12. *cap.* 5. *num.* 6. adducens resolutionem quandam S. Congregationis concilii de 21. Septembris a. 1602.

Additio 3. Modum & annum, quibus in Diœcesi Trevirensi promulgatum fuerit Conc. Trid. exhibet *hist. diplom. Trev. tom.* 3. *pag.* 93. *in notâ A.*

** Proprius videlicet unius saltem ex contrahentibus, idque ratione Domicilii vel quasi, non item ratione originis; perinde autem de jure communi est, sponsi vel sponsæ parochus adhibeatur, quanquam in praxi plerumque ultimus soleat matrimonia solemnizare, cujus rei rationes assignat *Vanespen ad tit. de sponsal. cap. I. num.* 5.

Additio 1. Vagorum verè talium, idest, eorum, qui nullibi seu verum seu quasi domicilium habent, matrimoniis valide assistit parochus loci, in quo hic & nunc inveniuntur, idque etiamsi una pars tantum sit vaga. Quæ autem cautela adhibenda sit à parocho, antequam vagos copulet, docet *Trid. Sess.* 24. *cap.* 7. *de reform.* ubi: *parochis autem præcipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad ordinarium delatâ ab eo licentiam id faciendi obtinuerint*, ratio hujus ibidem præmittitur hæc: *multi sunt, qui vagantur & incertas habent sedes, & ut improbi sunt ingenii, primâ uxore relictâ aliam & plerumque plures illâ vivente diversis in locis ducunt. In rit. novis Trev. part. I. pag.* 237. omnibus Parochis & Sacerdotibus curam animarum habentibus sub pœnâ suspensionis

pro-

prohibitum legitur vagos inconſulto ordinario matrimonialiter copulare.

Additio 2. Valor matrimonii non vitiatur per hoc, quod parochus eidem aſſiſtens non ſit presbyter, aut irregularitate, ſuſpenſione, excommunicatione aut interdicto innodatus & ſuppoſitus ſit, etiamſi ſpecialiter eidem à ſuperiore ſuo aſſiſtentia ejusmodi eſſet prohibita. Ratio omnium horum deſumitur ex verbis ipſiusmet Conc. Trid. plus non requirentis, quàm ut aſſiſtat parochus, qualis quis eſſe poteſt, licet excommunicatus &c. exiſtat.

Additio 3. Aſſiſtentia hæc à parocho nuptiis ſui parochiani impendi poteſt tam intra quam extra diſtrictum ſuæ parœciæ quantum ad valorem actûs; ad cognoſcendum autem an id quoque licitè fiat, diſtingui debet inter aſſiſtentiam, quæ publicè in eccleſiâ cum benedictione, & eam, quæ in privatis ædibus & ſine omni ſolemnitate fit. Pro primâ ut licitè procedatur, requiri debet parochus loci in quo, pro ſecunda non item; prohibita tamen hæc eſt in multis diœceſibus nominatim in Trevirenſi, *Rit. noviſ. Trev. part. I. pag.* 240. ſupra dictæ *ordinationes Franciſci Ludovici cap.* 2. §. 29. in poſtremis quidem ſub pœnâ ſuſpenſionis inhibetur.

Additio 4. Debet parochus, quod & de teſtibus intelligendum, ad hoc, ut matrimonium valeat, eidem præſens eſſe moraliter ſeu humano modo, & eodem ſimul tempore cum teſtibus. Ratio utriusque in promptu eſt, cum parochi & teſtium præſentia requiſita ſit, ut per eos de matrimonio fides fieri poſſit eccleſiæ, & ex mente Conc. Trid. parochus & teſtes de eodem actu teſtari poſſe debeant. An & eundem unà cum teſtibus formaliter adhiberi, ſeu quod idem eſt, requiri & rogari neceſſe ſit, dubium eſt inter Doctores. Vid. eatenus *Schmaltz-*

grueber

grueber ad h. t. num. 234. *& seqq.* certò tamen ad valorem sufficit præsentia coacta & fraude obtenta, quanquam coactio & fraus ejusmodi graviter sit illicita, tum ob injuriam, quæ parocho & testibus sic infertur, tum ob contemptum ecclesiæ, præsertim cum taliter contrahentes ordinariè proclamationes omittant. Desuper pro hâc diœcesi habetur in sœpe cit. *ordinat. Francisci Ludovici cap.* 2. §. 30. ubi: *quicunque sæculares impiâ & Sacramento injuriosâ praxi matrimonium non servatis proclamationibus coram ordinario vel parocho invitis & reluctantibus clandestinè contrahere præsumpserint, ad comprimendam hanc extremam temeritatem noverint se ipso facto censuras interdicti personalis & excommunicationis incursuros.* Habetur præterea in hanc rem *Joannis Philippi glor. mem. ordinatio de* 3*tiâ Februarii anno* 1757., per quam temerarium ejusmodi factum sub pœnâ confiscationis omnium bonorum & relegationis extra patriam cum reservatione etiam pœnitentiæ publicæ prohibetur.

Additio 5. Quando matrimonium initur vel absque parocho vel absque testibus, tam contrahentes, quam parochus & testes pœnâ arbitrariâ per ordinarium infligendâ sunt castigandi per *Conc. Trid. Sess.* 24. *cap. 1. de reform.* in verbis: *Insuper parochum vel alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero, & testes, qui sine parocho vel Sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio ordinarii punivi præcipit.* Presbyteri aut parochi nuptiis alterius parochiæ sponsorum assistentis aut eas benedicentis pœna sequitur eod. loco: *Siquis parochus vel alius Sacerdos sive regularis sive sæcularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemoriali consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos sine illorum parochi licentiâ Matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tam diu suspensus maneat, quamdiu ab ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.* Verba

ba hæc allegantur in *Ordinat. Francisci Ludovici cap.* 2. §. 27 iisque additur: *noverint simul ejusmodi transgressores, contra eos, ubi correcti non resipuerint, etiam ad incarcerationes & privationes beneficiorum canonicè procedendum.* An autem parochus absque debito testium numero assistens matrimoniis triennio sit suspendendus, de eo doctores non conveniunt: affirmant multi ex *Cap. fin. h. t.*, negant alii ex eo, quod ibidem sermo sit de assistente omissis proclamationibus, qui casus plane alius est ab eo, de quo quæritur.

Additio 6. Quod in primis duabus formulis, quæ puncto irritandorum matrimoniorum clandestinorum patribus tridentinis propositæ fuerunt, præsentia parochi requisita non fuerit, sed trium tantummodo testium, patet ex *Pellavicini historiâ Conc. Trid. Lib.*22.*cap.*4. Discrimen inter formulas istas hoc erat, quod prior homines tantum ad matrimonia clandestina, subsequens autem illos etiam ad sponsalia ejusmodi inhabiles reddiderit. Quare autem satius habitum fuerit postea ad efficaciam Sacramenti requirere, ut eidem parochus simul interfuerit, *eod. lib. cap.* 8. exponitur: perpensum scilicet est, nimis facile fore matrimonium contrahi coram hominibus vagis & ignotis, quibus abeuntibus testimonium facti haud extaret, & in absurda pristina incideretur; ad consulendum ergo incommodis hujusmodi testem stabilem, qui contracta connubia in codicem referret, quæri debere, atque ad hoc parochus vel maximè idoneus visus fuit.

*** Non ergo Diaconus aut minor clericus ad vices parochi hìc supplendas potest substitui. Probatio hujus latet in verbis Conc. Trid. *præsente parocho VEL SACERDOTE.*

**** Hæc expressa sit, non autem præsumpta tantum aut interpretativa, ùt decisum legitur in *Ordinationibus Francisci Ludovici*

vici cap. 2. §. 35: ad evitandum vitium clandestinitatis declaramus, non sufficere præsumptam seu interpretativam tantum Licentiam proprii pastoris, sed expressam omnino requiri.

***** De horum sexu, ætate & aliis qualitatibus altum in Conc. Trid. silentium, adeoque censendum est, testes etiamsi omni exceptione majores non sint, hìc tamen à testimonio non repelli, cum Trid. Conc., ante quod nullus ad valorem matrimonii testis requirebatur, jus antiquum eatenus immutarit, atque ideo verba ejus strictè, ùt sonant, sint accipienda. Accedit efficaciam multorum matrimoniorum in contraria sententia reddi ambiguam, id quod à quodam Patre in Conc. Trid. contra verba: *testes fide dignos* ab aliquo expetita observatum refert *Pallav. hist. Conc. Trid. lib. 22. cap. 4. Rit. novis. Trev. part. 1. pag. 232.* ait: *testes autem non nisi benè noti admittendi sunt, & quibus fides certa adhiberi possit;* hæc ergo cautela si in istâ diœcesi negligitur, *illicitè* proceditur ad copulationem.

XVI. Quæ hactenus de parochi & testium præsentiâ ex Tridentino dixi, ad omne matrimonium spectant, in locis, ubi decretum istius Concilii matrimonia clandestina concernens est promulgatum, ita ut ibidem non servatâ ad literam Concilii formâ, bonâ licet fide & in urgente necessitate celebratum * effectu careat, exceptis casibus, quibus vel forma ista ex causâ aliqua generali servatu possibilis non sit, ** vel matrimonium aliquod ex capite latentis penitus & occulti impedimenti irritum tantum revalidari debeat. ***

* Qualis e. g. est, si constitutus in articulo mortis velit ad legitimandas proles ducere concubinam, parochus autem pro tunc haberi

haberi non possit, eo quod aut absens à loco, aut mortuus sit, nec alius adsit, qui vices ejusdem suppleat; ratio hujus in eo posita est, quod, quando jus negotium aliquod certo modo fieri vult appositâ clausulâ irritante, si aliter fiat, modus iste ad formam actûs pertineat, quam ad unguem servare necesse sit, cum sine eâ actus subsistere nullatenus valeat; sustineri ergo non potest opinio doctorum quorundam apud *Barbosam in Collect. Doct. in Conc. Trid. Sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. num.* 140. existimantium in ejusmodi casu valere matrimonium, dum fiat coram aliis testibus.

** Exceptio hæc fundatur in declarationibus Cardinalium ad Episcopum Tricariensem datis 19na Januarii an. 1605. illæ præter alia sequentes duas continent decisiones: a. *ubi autem constat decretum Concilii esse observatum, sed parochialis ecclesia utpote vacans proprio parocho careat, & cathedralis itidem Episcopo atque capitulo, habentibus à concilio facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi, nullusque alius ibi sit, qui vices Parochi vel Episcopi suppleat, matrimonium valere absque præsentia parochi, servatâ tamen in eo, in quo potest, forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus* b. *si extent quidem Parochus & Episcopus, sed nullo constituto vicario uterque metu hæreticorum lateat, ita ut vere ignoretur, ubinam sit, vel eodem metu à diœcesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum est matrimonium contractum absque forma Concilii adhibitis tamen, ut dictum, duobus testibus.*

*** Est hæc sententia etsi contraria principio, quod lex in periculo universali fundata & formam actui tribuens in omni possibili casu observari debeat, inter Doctores, quos magno numero allegat *Schmalzgrueber ad h. t. num.* 120. magis communis, imo vero stabilita fuit *declaratione S. Pii V.*, ùt refertur in *thesauro resolutionum S. Congregationis Concilii tom.* 2. *pag.* 298.